

14

50

# DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE TUMORIBUS CYSTICIS.

---

Q U A M  
ANNUENTE SUMMO NUMINE  
EX AUCTORITATE ATQUE DECRETO  
**CELEBERRIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ**  
**FACULTATIS MEDICÆ**  
IN ACADEMIA REGIA DUISBURGENSI  
PRO  
**GRADU DOCTORIS**  
**MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ**  
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
ADAMUS GODOFREDUS KLOSE  
BADENSIS.

---

DIE XXVII. NOVEMBR. MDCCCLXXX.

---

D U I S B U R G I,  
TYPIS VID. BENTHONIANÆ, ACAD. TYPOGR.,

D E S C R I P T I O N  
M E D I C I N A E

E T

T U M O R I N G C Y S T I C I S

A H

M U A M

A N N U I T E S U M M I N

O T T O M A N I S T R A T I O N

C H A R A C T E R I S T I C A L A T T E R V I S I O N

A T T A C T U A T I C M E D I C I N

I N A C T I O N A R Y K I D N Y P R o s p e n g e n s i

A H

G R A D U D O C T O R I S

M E D I C I N A T H C H I N U S I T E

M E D I C I N A T H C H I N U S I T E

A D M I N I S T R A T I O N C O D E R C Y S T I C I S

P r o c e s s

D I S C U S S I O N

T H E M E D I C I N A T H C H I N U S I T E

T

c o f

t u r a n

v o c a r

P e

P r i m

e f f e p

m o r i

c e d e

c y s t i c

S



## DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

## TUMORIBUS CYSTICIS.

—  
§. I.

**T**umor præternaturalis, in quounque corporis nostri se-  
co situs, ex sacco constans, qui materia quadam præter na-  
turam huc congesta vel accumulata repletus est, generaliter  
vocari solet *tumor cysticus* vel *saccatus* vel *tunicatus*.

§. II.

Pertinent itaque ad ideam hujus morbi :

*Primo* : saccus quidam materiam, quæ diversæ spissitudinis  
esse potest, continens ; excluduntur hinc extravasationes hu-  
moris cuiuscunque in tela cellulosa stagnantis, uti abscessus,  
œdema, fugillatio &c, quippe qui tumores sine sacco vel  
cystide sunt.

*Secundo* : Contentum facci, quæ varie consistentiae esse

4  
potest, mox tenue liquidum, mox spissius, instar syrapi  
aut pultis, mox durum, imo calcaream, calculosam  
& osseam materiem in faccis quandoque reperiri constat.

§. III.

Vix ulla corporis nostri pars datur, qua non aliquando  
tumori cystico locum dedit. Possunt hinc tumores dividi  
1, in *externos* s. eos, qui in externis partibus proxime  
sub cute in tela adiposa haerent, &  
2, in *internos*, qui quamcunque aliam corporis regionem  
occupant.

§. IV.

De posterioribus seu *internis* breviter tantum sermo nobis  
erit, cum vix jure tunicatis tumoribus adnumerentur; so-  
lent vero hoc passim referri:

1. Tumores in minoribus cavis corporis humani naturali-  
bus orti, quando haec præternaturaliter a materia contenta  
extenduntur. Ita e. gr. ovum in ovario muliebri immaniter  
increscere posse notissimum est; tale nuper in sectione ca-  
daveris nobis occurrit memoratu dignum, quod materia  
varicæ consistentiæ repletum ultra viginti novem libras pon-  
dere æquabat, alio loco fusiis describendum.

2. Vesicæ, liquido aquoso vel & subrubello plenæ, passim in  
membranis hodie lymphaticis dictis, peritoneo, pleura &c. &  
super viscera, quas investiunt, imprimis genitalia mulierum  
interna, etiam in cerebro, plexu choroideo, medulla spina-  
li quandoque occurrentes probabiliter ex varicibus vaso-  
rum lymphaticorum ortæ; haæ *hydatides* vocari solent, Re-  
centioribusque quibusdam tæniæ, inde hydatigenæ dictæ, ad-  
scribuntur;

scripta, in cibis quod Rinot, - de quod Thesla i. objecto. tracta  
naturi, legi haec. In primis quod J. et al. herorum of venere  
et rotundata & fistula. ab. t. IV. 288 d. l. D. Caspina.

scribuntur; huc etiam ascites saccatus & ovula Nabothi re-  
ferenda esse videntur.

3. In glandulis quibusdam, ex conglobatarum imprimis  
generi saepius cava formantur, quae materiam pulchram vel  
& calcaream, imo calculosam continent, quod in jugulari-  
bus & bronchialibus, in angulo divisionis bronchiorum  
sit, saepissime observare licet.

Ita etiam in glandula thyroidea cava vel naturalia quan-  
doque augentur, vel præternaturam formantur, quae ma-  
teriam gummiresinosam subpellucidam, non raro calca-  
ream continent.

4. Tumores glandularum salivalium, vel potius ductu-  
rum eorum excretoriorum, quorum quidam ranulæ vocari  
solent, in oris labiis, & sub lingua præcipue in whartonio-  
no ductu occurrentes, salivam inspissatam vel materiam  
quoque grumosam, imo & calcaream & calculos ipsos sali-  
vales dictos, continere solent.

5. Venarum etiam & arteriarum in quodam loco circum-  
scripti tumores seu earum extensiones morbosæ, sub nomi-  
ne varicum & aneurysmatum notissimi, huc a multis refe-  
runtur.

6. Tandem ganglia, i. e. tumores vaginæ tendinis vel  
capsulæ articulationis, vel bursæ mucosæ generaliter ad lu-  
pias Gallorum vel tumores cysticos pertinere, hicque memo-  
randa esse videntur.

### §. V.

Ex hac tumorum diversitate explicari facile potest, quare  
diversa valde saccorum contenta pastim in observationibus  
descri-

describantur, quæ vero pro diversa sacci natura etiam non nisi diversa esse possunt, ita in ductibus salivalibus & glandulis bronchialibus calculi; in tumore ovarii pili, dentes ossa, ex conceptione extrauterina forte residua, occurtere possunt, quæ in cysticis externis tumoribus vix unquam observari posse per se patet, adeoque certa species saccorum certam etiam materiae speciem continere solet.

### §. VI.

*Externi tumores cystici, de quibus paulo fuisus agere constituimus, etiam duplicitis sunt generis.*

1. Vel enim originem habent ex glandula cutanea s. folliculo sebaceo.

2. Vel sunt *indurationes adipis*. De posterioribus prius dicamus.

### §. VII.

Tumores, quos induratæ adipis glebae formare solent, sunt, dum particula pinguedinis indurata telæ cellulose cellam, quam replet, sensim extendit, & ad proximas laminas seu cellas applicat, ita ut, dum continuo nova adeps affluit, iterumque indurescit, paulatim oriatur saccus amplius, qui ad enormem magnitudinem increscere potest, vel etiam, quod s̄p̄ fit, adeps in circumiacentibus cellulis hærens per compressionem, ut videtur, adipis induratæ simul stagnat, indurescit, atque ita sensim tumor formatur inæqualis, durior, digito tamen comprimenti sensim cedens, non elasticus.

Talis cognoscitur & imprimis a mox dicendis veris tumoribus cysticis distinguitur sequentibus;

2. Statim a initio, dum tumor appetet, a superjacente  
cute

cute liber est, quæ super eum hinc inde dimoveri, removere & attolli potest.

b. Ut plurimum forma inæqualis est, & ex pluribus quasi tumeribus conglutinatis constare videtur.

c. Occurrit non nisi in locis valde adiposis, ut hypogastrio, natibus, collo, rarius in facie & locis, in quibus cutis a musculis adipe parca distat.

Videntur hinc & hi tumores merito ad tunicatos referri non posse.

#### 6. VIII.

Tumor vero tunicatus proprius & verus, cuius historiam & curam amplius describendi animus est, nil aliud est, quam folliculus sebaceus, qui a materia sua, quam secernit, congesta, & non excreta præternaturam extenditur.

Cystis itaque est tunica folliculi sebacei, quæ vero, dum folliculus in majus volumen extenditur, sibi applicat circumiacentis telæ cellulosa laminas, unde mox mollior, mox durior, imo quandoque callosus & quasi cartilagineus fit, saepe ex unica tantum membrana, interdum bulbi instar ex pluribus sibi superjacentibus membranulis conflata videtur, unde apud Germanos passim sub nomine Neunhäuter & Siebenhäuter occurrit. Hinc ut plurimum, quo majoris voluminis est tumor, adeoque quo magis folliculus extensus & quo minus recens est, eo crassior & durior solet esse cystis. Quandoque tamen, imprimis in valde magnis tumeribus tunica etiam tenuis neque pro ratione voluminis crassa est. Apparet hinc etiam, a duritate tumoris cystici non certe ad duritatem materiæ contentæ concludi posse, sed hanc

sæpius

sæpius à tunice crassitie dependere. Rarissime saccus ex pluribus cavis constat, tunc nempe plures revera adsunt olliculi sebacei conglutinati.

### §. IX.

Sedem tumores hi non nisi habere possunt immediate sub cute, nulla vero etiam cutis externæ pars, quippe nulla a folliculis sebaceis libera, est, quæ non tumor tunicato locum dare possit. Præ cæteris tamen omnium frequentissimi in dorso, collo, capite, natibus, hypogastrio, brachiis & femoribus occurunt.

### §. X.

*Sacci contentum* est sebum cutaneum, quale in glandulis cutaneis secerni solet, mox tamen pro ratione affluentis novi humoris vel tenuioris partis resorbæ, spissius aut tenuius; triplex hinc tumorum genus constituerunt Medici, quod usu quidem receptum, sed vix, cum spissitudinis & humorum varia mixtionis plures dantur gradus, probandum sunt vero

*Meliceris* i. e. tumor, qui materiam continet fluidam, instar syrapi tenuioris aut crassioris vel mellis; tales in parte capitum capillata, uti & super articulationes, in quibus ossium extremitates prominent, occurrere solent, & sunt moliores, fluctuatione sua liquidæ tenitatem denunciantes; rarius ad volumen magnum extenduntur, & raro ultra 2 vel 3 pollices lati sunt, si enim latius extenduntur, extenuantur & consumuntur cutis superjacens una cum sacco quo aperito materia effunditur.

Plures sepissime 3 — 10 in codena capite simul occurunt

&

& quandoque ad majorem adhærent minores, quasi ex ipso germinantes.

*Atheromata*, in quibus materia contenta alba & pultacea est, quæque tactu duriora sunt. Hæc multo frequentius ceteris occurunt.

*Steatomata*, quæ sevum durius lardaceum continent, & non nisi in locis valde adiposis occurrere solet.

Vari, crinones & comedones huc quoque pertinent.

#### §. XI.

Forma tumorum externa varia est, ut plurimum tamen plus minus globosa, quandoque magis in latitudinem extensi sunt, ut vix cutim elevent. Mox magis super cutim protuberant, rarissime & non nisi in loco declivi e. g. in natis hærentes, ob proprium pondus descendentes, fiunt petiolati. Hinc ob figuræ diversitatem varia quoque a Veteribus imprimis nomina acceperunt.

*Testudinem* nempe vocarunt, qui testudinis testæ quodammodo similis, mollis tamen, ovi ut plurimum gallinacei magnitudinis, sed latior, in parte capitis capillata occurrere solet, & ad melicerides pertinet.

*Talpa* s. talparia, qui cumuli terræ talparii instar super cutim prominet, ad atheromata referendus tumor.

*Natta* vel nasda dicitur tumor cysticus ad ingens quandoque volumen increscens, qui cervicem & dorsum occupare solet.

#### §. XII.

Ut vero tumor tunicatus verus ab aliis tumoribus in ex-

B

terna

zerna corporis superficie quandoque occurrentibus *dignoscatur*, sequentia notanda sunt signa :

1. Tumor hæret immediate sub cute externa in tela cellulosa adiposa.

2. Frigidus & indolens est, tactumque etiam duriorem sine dolore fert, non tamen insensibilis est; aliquando etiam sponte inflammari & suppurare potest.

3. Mobilis quidem ab initio est in tela cellulosa, cum cute tamen superjacente, per ductum nempe folliculi excretorium aliquomodo cohæret, deinde etiam, si majus acquirit volumen, subjacentibus intimius applicatur partibus, & cum ipsis concrescit, imo inter musculos & tendines radices agit profundius descendendo.

4. Tumor initio minimus sub pisi minoris magnitudine quandoque jam observatus sensim increvit & enormiter augeri potest, ita ut decem, viginti &c. libras pondere æquet.

5. Durities varia est, in meliceride mollior, in steatomate durior, nunquam vero lapideæ duritiei, qualis scirri esse solet, sed semper aliquomodo digito comprimenti cedens, dependet partim a tunice crassitie & morbi vetustate, partim a materiæ contentæ spissitudine.

6. Cuti utplurimum concolor est tumor; cutis nempe superjacens colorem naturalem conservat, nisi forte tumor, quod raro sit, in inflammationem transeat, vel, quod in meliceride sit, cutis attenuetur, & erysipelacea fiat.

7. Certissimum & pathognomonicum signum est punctum in cute superjacente nigrum, orificium nempe ductus excretorij

cretorii ad folliculum tumidum ducentis, per quod aditus ad facci cavum satis late patet; si nempe acicula vel tenui stylo sevum in ipso hærens nigrum aufertur, & stylus hac via ad saccum ducitur, eoque via libera fit, tunc saccum compressando materia contenta facilis negotio exprimi potest, certissimo tumoris tunicati indicio.

§. XIII.

**CAUSAE** tumorum cysticorum dividi solent in internas & externas.

De *internis* nil certi constat, licet dari internas negari non possit. Ad eas vero concluditur, si in eodem corpore plures simul tumores saccati apparent. Huc referuntur imprimis depositio materiæ peccantis, præcipue ab exanthemate retrogresso, ut & arthritica, imo scrophulosa & venerea cacoehymia huc facere dicuntur; volunt etiam hæreditarium non raro esse malum. Sed valde dubiae sunt internæ causæ.

*Externæ* sunt omnia ea, quæcunque excretionem sebi in folliculo cutaneo quodam secreti impediunt. Quo pertinet sequentia:

I. *Compressio externa*; quando nempe per causam quandam externam porus ductus ex folliculo sebaceo excretorii diu vel sèpius comprimitur, unde sevum secretum exprimi nequit; tunc nempe sensim, novo semper affluente sevo, materia augetur, folliculusque in tumorem exsurgit. Ita e. gr. foeminæ a compressione vestimentorum imprimis fibulatoriorum super scapulam, sartores a consueto super

mensam femorum situ super malteolos pedum extremitates. Rusticæ a comprimente crinali ante auriculam, Monachi a genuflexione continuata super genua tumores patiuntur cysticos.

2. Obturatio excretorii ductus per externas fôrtes, quod in operariis varil generis & fôrdidis sit, qui lotiones aut capillos pingere negligunt, ab unguentis etiam & emplaçris diu cuti applicatis sieri solet; tunc nempe sevum in orificio ductus cum pulvere vel fôrdibus mixtum indurescit ductumque obturat, atque ita accumulatur, dum interim sensim per extensionem folliculi robur ejus perit, adeoque causa nova accedit.

3. Idem sit per obstruktionem excretorii ductus ob sebum forte nînis crassum, difficulter exprimendum, quod a singulari humoris hujus natura oriri in certa constitutione corporis potest; hinc infantum crinones & comedones, qui revera nil aliud sunt, quam tumores cystici sientes.

4. Concrecio vel contraficio pori s. orificii excretorii, quæ per quamcunque inflammationem a contusione, vulnere, combustionē, variolis, & a sebo acri, ductum inflammante produci potest.

5. Elasticitas faciei inminuta, vel sublata, in quo casu sevum non rite, uti sieri deberet, exprimitur. Hinc in iis, qui faciem vel totum corpus calida sovent aqua, copiosiores sunt; hinc debilitatus folliculus non resistit, sed a continuo affluente sevo, quod non exprimitur, semper increscit.

Ceterum observandum est, in regionibus frigidis frequenter occurtere tumores tunicatos quam sub calido cœlo. Infantibus etiam in utero materno non parcere dicuntur, quia

quare certa nœvorum species ad tumores cysticos referri  
aneretur.

#### §. XIV.

*Effectum* alium tumores hi utplurimum non producunt,  
quam qui a pondere comprimentis tumoris deduci potest,  
functionem nempe adjacentium partium plus minus turbant,  
sic e. gr. in palpebris harum motum impediunt; ita venæ,  
arteriæ, nervo, ductui excretorio incumbentes eos compri-  
munt, actionesque iadunt. Qui ossibus superjacent, cariem  
creare possunt, quod in crano de meliceride observatum  
est. Interim quidam, etiam magni, quandoque sine noxa  
feruntur, dum sensim increscendo subjacentibus partibus se  
accommodant. Rarior etiam effectus est valde magnorum  
tumorum, ut humores nutritios absorbendo ægrum exte-  
nuent.

#### §. XV.

Sensim utplurimum crescunt, quidam ab ortu nulla inter-  
cedente mora continuo augentur, ad ingentem usque molem,  
alii ad certum volumen extenduntur, tunc sape per totam  
vitam immutati manent, aut & post certum temporis inter-  
vallum iterum increscunt.

Ceterum indolentes sunt, & frigidi. Accedit tamen quandoque imprimis in meliceridibus inflammatio a frictione,  
etiam levi contusione, aut medicamentis irritantibus, que  
resolvere debebant, applicatis, aut & acrimonia materiæ  
contentæ.

Ita in varis sit, qui mox ab initio ob acrimoniam materiæ  
jam inflammantur & suppurant.

Inflam-

Inflammatio si accedit, *vel* resolvitur & quidem aut natura aut arte, & in utroque casu ut plurimum tumor sub inflammatione valde increscit; *vel* in suppurationem transit, in quo casu superjacens cutis tandem rumpitur, contentumque effluit. Inde exitus varius est, sæpe nunc oritur ulcus fistulosum, quia saccus ægre suppurat, idque quandoque clauditur, & mox de novo iterum, sacco nempe relicto, exestuat, *vel* cystis suppurat, *vel* suppuratione a circumiacentibus partibus solvit, & cum pure expellitur, tunc plenaria sanatio fit.

### §. XVI.

CURA fit vel medicamentis vel operatione varia.

In cura eo respiciendum est, ut tumor

- I. Vel resolvatur,
- II. Vel per suppurationem aut
- III. per extirpationem auferatur.

### §. XVII.

I. *Resolutio* tumorum cysticorum difficilis valde & sèpissime impossibilis est, partim quia per saccum, annosum imprimis, vetustate incrassatum, medicamenta externe applicata non penetrant, partim quia materia extra vas a & non uti in variis aliis etiam durioribus tumoribus in vasis hæret, partim quia materia eriam dissipata saccus remanet, qui ob elasticitatem amissam mox iterum repletur. Interim recentes quandoque resolutos fuisse dubitari nequit.

Medicamenta ex resolventium classe petenda cum diu continuata frictione applicari debent, suntque eadem, quæ ad scirrhos aliosque tumores adhibentur, & quidem

dem ex iisdem maxime irritantia sine periculo eligi possunt.  
 Laudatur vero ex his præcipue solutio mercurii sublimati in  
 aqua destillata, unguenta & emplastra mercurialia, spiri-  
 tus Mindereri, spir. salis ammoniaci cum cremore lactis,  
 vel & liniimentum volatile, sapo venetus varia mixtione  
 applicatus in solutione saturata aquosa vel in emplastro, vel  
 unguenti forma; etiam spiritum saponis commendant, quo  
 sevum contentum magis convenienter solvi credunt, quam  
 unguentis & aliis resolventibus; oleum camphoratum, vel  
 & unguentum ex oleo spicæ, oleo tartari fœtido & campho-  
 ra \*). BALTHAZAR \*\*) laudat linimentum ex oleo laurino  
 & sapone venet. una cum aqua mixt. Emplastrum ex gummi  
 ammoniaco & aceto imprimis squillitico. Commendari etiam  
 meretur Emplastrum Cl. ROUX ex gum. ammoniac. sagapen-  
 pur. aa. unc. 2. cum aceto vini libr. IV. ad debitam consistent.  
 coct. & dein frigefact. adm. Antimon. crud. pulv. uncia.

Potest etiam tentari emplastrum, quod Cl. CAVALIER ad  
 tumores cysticos commendat, & quod ex emplastro Viginis,  
 gummi ammoniaco, sale ammoniaco & mercurio crudo confi-  
 citur, licet probabile non sit, quod Cl. CAVALIER de eo  
 laudat, emplastrum materiam faccio contentam per cutis po-  
 ros educere.

### §. XVIII.

Ad resolutionem præter medicamenta etiam alia remedia  
 commendarunt, nempe :

Cl.

\*) PLENCK Mst. med. chir. p. 164.

\*\*) Samml. chirurg. Wahrnehmungen. 2te Samml. 1785.

C. FAVRE *calorem artificialem*, ad resolvendos etiam magnos tumores maxime laudavit, potestque calor irritando & attenuando ad discutiendos humores stagnantes multum conferre, licet in magnis tumoribus vix aliquid inde sperandum sit.

Omnium vero minime ab electricitate exspectari posse videtur, quam Ven. SANS, uti ad varios alias morbos externos, ita etiam ad tumores cysticos in libro suo (*guérison de la paralysie par l'électricité*) magnopere commendavit.

*Compressio tumoris* non solum scopo dissipandi materiam contentam, sed & parietes facci sibi invicem applicando eorum concretioni favere dicitur, sed præterquam, quod in magnis tumoribus plane nil juvet, quod non nisi in locis, ubi tumor ossi incumbit, applicari possit, quod usum simul aliorum resolventium medicamentorum & frictionem requirat, monendum etiam est, ipsam saepissime malum augere, dum tumorem in latitudinem extendat, & ad circumiacentes partes adhærere cum iisque concrescere faciat, adeoque operationem dein necessariam difficulter reddat.

*Frictionem* vero merito laudandam esse judicamus, cum nunquam noceat, & diu saepiusque adhibita maxime, paullatim licet, ad discutiendum conferre possit. Fieri vero potest vel manu aut digitis nudis vel panno aut linteo plus minus aspero, vel & simul adhibitis medicamentis resolventibus, quæ frictione applicantur, inter quæ salivam humana utpote remedium, quod semper præsto est, nunquam nocivum & præterea sumnum & universale fere resolvens maxime commendandum esse opinamur.

Potest

Potest etiam humor contentus ex tumoribus non valde magnis evacuari, dum per stylum tenuem, qui per ostium ductus excretorii ducitur, via materiæ patefit, si dein tumor primum hinc illinc motu digitis comprimitur, donec materia expressa sit. Sæpe tunc facco collapsio elasticitas amissa sensim, imprimis si remedium repetimus, vel levem simul compressionem in auxilium ducimus, redditur.

### §. XIX.

II. Alterum idque multo certius remedium est *suppuratio*, per quam foccus vel per suppurationem dissolvitur, vel a circumiacentibus partibus separatur & cum pure per suppurantis tumoris aperturam evacuantur.

Suppuratio vero producitur dupli modo:

I. dum medicamentis irritantibus, imprimis emplastris sic dictis suppurantibus, diachyl. cum gum. de Galbano Crocat. &c. interjectis cataplasmatibus ex calefacientibus & adhibita simul frictione, pressione & tractione tumoris, vel inflammatio sponte jam facta sovetur ac promoveretur, vel arte excitatur, donec suppuratione accedat, quæ sensim focum dissolvit & in pus mutat. Notandum vero est, tumorem suppuratum plane sibi esse relinquendum, donec sponte cutis superjecta per suppurationem erodatur aut disrumpat, quod caustico pronoveri potest, vel saltem abscessum factum non esse incidentum, nisi certi simus cystidem suppuratione esse extam; hoc vero dignoscitur ex deficiente qualicunque duritie in circumferentia tumoris ejusque mollitie æquali.

g. Vel quia ante dicta methodus propter frigiditatem tu-

moris s<sup>e</sup>pius non succedit, ut plurimum satius est, etiam ut curatio non nimis distrahatur, statim ab initio lanceola, tumorem tunicatum levi vulnusculo, vel &, si æger & circumstantiae permitunt, ut aditus liberior pateat, majori tumoris magnitudini proportionato non tamen nimis magno Vulnero incidere, vel in iis ægris, qui instrumentorum usum plane recusant, caustico applicato tumorem aperire, contentam materiam exprimere, & ut foccus inflammetur, simulque a circumiacentibus partibus solvatur vel suppuret, ope penicilli interna facci superficies oleo vitrioli vel lapidis infernalis solutione obducitur, inflammatione excitata ut suppuratio fiat, ope lintei carpti unguentum ex digestivis cum mercurio præcipitato rubro vel alumine usto applicatur, digestioque promovetur, donec foccus solutus vel suppuratione confectus sit, ubi tunc simplici deligatione sicca vulnera sanatur.

### §. XX.

In eo casu, quando tumor ingens, & uti tunc fieri solet, cystis crassa est, oportet magno vulnero tumorem aperire, lanceolaque facci superficiem scarificare, quo supradictorum medicamentorum, quæ & hic applicanda sunt, effectus promoveatur.

Tandem si tumor mollis, materiaque fluens est, uti in meliceride obtinere solet, sufficit sape acu triquetra perforare saccum, & per cannulam materiam evacuare, denique per eandem lapidis caustici vel infernalis solutionem injicere, cataplasmatibusque suppurationem promovere, donec ex molitie totius tumoris de facci solutione constet, ubi tunc tumor inciditur.

Si

Si autem exger ab omni instrumentorum acutorum usu plane abhorreat, idem fieri potest tenui tantum stylo per orificium ductus excretorii inducendo, viamque materiae exprimendæ aperiundo, & dein tincturam cantharidum vel lapidis infernalis solutionem ope syringis tenuis injiciendo.

In utroque vero casu, quando saccus suppuratione satis solutus appareret, nisi sponte via puri pateat, quod ut plurimum fieri solet, ope caustici externe applicati vel lanceolæ incisiōne levi abscessus factus aperitur, & modo consueto saturatur.

Monendum etiam est, in his casibus, quando tumor valde magnus, cystisque incrassata, dura est, ad faciliorem brevioremque curationem multum juvare, si cystidis a partibus adjacentibus forte solutæ laciniæ cultro vel forifice absindantur.

3. In tumoribus valde magnis suppuratio optime fit & promovetur, applicato *setaceo*. Dicitur nempe linteum pollicem circiter latum per tumorem cysticum ita, ut quantum possit, per medium tumorum transeat, neque a peripheria cystidis nimis remotum sit, ea tamen cautela, ne vasa varicosa, quæ ut plurimum in magnis tumoribus reperiri solent, lœdantur; linteum per 2 vel 3 dies, donec suppuratio incipiat, relinquitur, tunc vero protrahitur, & pars fasciolæ per cystidem ducenda unguentis suppurantibus irritantibus supra jam dictis obducitur, donec cystis suppuratione exesa sit, vel saltem ita soluta, ut facili negotio absque magno vulnere auferri possit; paulatim nempe in eo casu cystis suppuratione consumitur, tumorque sensim dispareret,

donec tandem etiam peripheria mollis sit, in quo casu fetaceum auferatur, vulnerisque sanatio naturæ relinquitur.

Hæc vero methodus magnam valde laudem meretur, imprimis in magnis tumoribus, qui jam recensitis methodis sanari nequeunt, extirpationemque cruentam, dolorosam & quandoque periculosam, quam requirere videntur, supervacuum reddit.

### §. XXI.

De suppuratione generaliter adhuc notandum est:

1. Eam imprimis in illis tumoribus alias curationis methodos imprimis extirpationem antecellere, quando tumor cum subjacentibus nobilioribus partibus intimius cohæret, ita ut non sine periculo læsionis harum partium cystis eximi possit.
2. Suppuratio, imprimis fetacei ope non nisi in ipsis tumoribus locum habet, qui plane nil maligni habent; adeoque de natura morbi certos nos esse prius oportet, quam methodum hanc applicemus.
3. Etiam æger ipse non sit cacochymicus, saltem nil cancresi aut scirrhosi in corpore lateat, quando tumorem cysticum per suppurationem eradicare tentamus.

### §. XXII.

III. *Extirpatio* brevissime omnium utplurimum curam absolvit, sed præterquam quod instrumentorum acutorum usum, a quo tot ægri abhorrent, requirat, etiam difficilis quandoque laboriosa & non raro periculosa est; & requirit saltem accuratam partium adjacentium anatomicam cognitionem. Aegri nempe plurimi dolores, quos chirurgus scalpelio

pello causatur, non graves & cito transeuntes multi majoris & pro intolerabilibus habere solent, quam dolores, quos ex suppurationis methodo causticorumque usu sentiunt, gravissimos licet, & diu durantes.

Non raro vero extirpatione fere impossibilis sit ob difficultatem, qua cystis a circumiacentibus partibus separatur. Crescit nempe haec difficultas

a) pro ratione majoris aut minoris immobilitatis; si nempe tumor plane immobilis est, apparet, ipsum vel radices inter partes adjacentes agere, vel eum tenaciter ipsis adhaerere, aut cum iis concretum esse, in quo posteriori casu, per operationem vel aliquid de cystide relinquitur, cuius dein separatio saepe longam curationem requirit, vel adjacentes partes laeduntur & vulnerantur, quod alio respectu periculosum esse solet, imprimis si pars haec nobilior est, ut arteria, ductus excretorius, organum sensus, &c.

b) pro ratione basis tumoris, quo latior haec est, eo laboriosior & periculosior separatio.

c) pro ratione voluminis tumoris ipsius. Tumores magni cum multis cohaerent partibus, habent magna vasa sanguifera, saepe praeter naturam & maxime extensa varicosa; horum laesio, quam quandoque praeterire nequimus, valde noxia esse potest.

### §. XXIII.

Operatio fieri potest dupli modo :

1. Vel cute incisa tumor cysticus illatus a circumiacentibus partibus separatur.

2. Vel cystis prius inciditur, & materia expressa, ipsa nunc demum separatur & extirpatur.

### §. XXIV.

## §. XXIV.

1. Prior operationis *methodus* tunc imprimis laudanda est, quando tumor non nimis magnus, cystisque ipsa durior est.

Operatio ipsa vero fit sequenti modo: Cutis super tumorem solito modo vulnere longitudinali inciditur, tunc ab assistente Chirurgo ope hamuli labia diducuntur, & tela cellulosa inter curim & cystidem partim ope scalpelli, partim manubrio ejusdem acuto vel digito separatur, donec integra cystis ab adhærentibus partibus libera sit; labia tunc vulneris iterum sibi applicantur & ope emplastri adhæsivi & justæ ligaturæ in naturali situ retinentur, vulnusque per antiphlogistica externa ita curatur, ut inflammatio & suppuration absit.

Si cystis cuti superjacenti adhæret, ita ut separari probe nequeat, incisio fiat ovalis, ita ut pars cutis cystidi adhærens super cystidem relinquatur.

Quando tumor inter musculos, vel alias partes descendit, & quasi radices egit, tunc post cutis incisionem & postquam anterior tumoris superficies a cute liberata est, filum fortius sericeum oleo imbutum circa tumoris basin ducitur, & paulatim contrahitur; ascendit tunc sensim tumor & a partibus, inter quas fere abscondit, removetur. Ita ut facile manubrio nunc scalpelli vel & digitis tela cellulosa dilacerari & tumor avelli possit.

## §. XXV.

2. Altera operationis *methodus* in iis casibus magis convenit, quando tumor valde magnus est, & cum partibus subiacentibus

jacentibus nobilioribus ita cohæret, ut facili negotio separari nequeat, tunc nempe prius vulnere longitudinali cutis una cum sacco inciditur, materia contenta evacuatur, residua tunc cystis in spatio liberiori accuratius & minori cum periculo læsionis cultro removeri potest.

Si vero cystis tam arcte cum nobiliori quadam parte cohæreat, ut plane sine læsionis meru avelli non possit, tunc pars cystidis adhærens, reliqua parte dissecta, relinquitur, & dein lapide infernali applicato per suppurationem destruitur, vel etiam si pars adhærens non nimis magna est, statim post facci extirpationem labia vulneris sibi adducuntur, & vulnus sine prævia suppuratione clauditur, in quo casu nunc pars adhærens cum superjacente cute concrescere solet.

Si tumor valde magnus est, tunc post simplicem cutis incisionem magna sepe hujus pars superflua est, & rugas agit, quare in eo casu plurimi superfluæ cutis partem amputare solent. Videtur vero hæc abscissio supervacanea esse, dummodo cutis juste partibus applicetur, eadem sepe temporis successu contrahit & plana fieri solet.

### §. XXVI.

In operatione ipsa generaliter adhuc sequentes observantur regulæ :

Cystis a cute & circumjacentibus partibus, cum quibus ope cellulosa cohæret, quamdiu id fieri potest, ope digiti vel manubrii scalPELLi separatur, hinc minus læsionis periculum, quam si cultro cellulosa discinditur; si vero ægrius avellitur, arctiusque adhæret cystis, tunc præstat cultro discindere,

discindere cellulofam, quia distractio violenta dilacerationem dolorosam, imo quandoque convulsiones creare potest.

Si vasa sanguifera majora occurunt, quorum dissectio praecaveri nequit, tunc statim hæmorrhagia sistatur, antequam in operatione procedamus; hoc fit, si majus vas est, vel plura occurunt, applicata ligatura, si minor arteria vel applicando agaricum vel digito assistentis Chirurgi admoto, vasculum comprimitur, donec operatio peracta sit. Hæmorrhagia post extirpationem finitam occurrens ex vasis venosis sanguiferis non facile metuenda est, aliqualis enim sanguinis jactura inflammationem arcet; largus vero sanguinis fluxus compressionem justam & remediorum applicationem quæ sanguinem sistant, requirit.

### §. XXVII.

Ultimo etiam de *ligatura* dicendum est. Si nempe tumor cysticus, uti in locis quibusdam, e. g. natibus foeminarum quandoque fit, petiolatus, aut basis saltē angusta fuerit, in iis, qui ab instrumentorum applicatione abhorrent, ligatura commendatur; tunc nempe filum sericeum fortius circa basin angustam applicatum tensim coarctatur, donec vasis compressis suppuratione in vivo, gangræna vero in tumore ligato orta, tumor paulatim separatur.

Longa vero haec non solum sed & valde dolorosa, imo & periculosa curatio est, extirpationi cruentæ postponenda, nec nisi in iis ægris admittenda, qui meticuloſi scalpelli usum prohibent.

In eo autem casu, quando Chirurgus ipse nobiliorum forte partium læsionem ex cruenta extirpatione metuit, cutis tamen prius circa basin discindenda, & tunc filum nudæ tumoris basi applicandum erit; Ita curatio longe breviori tempore absolvitur, & dolores magni & inutiles praæcaventur.

